

12
FLOS AVSTRIACVS

CANDIDUS ET RUBICUNDUS,

In LILIO Innocentiae
&

ROSA Pietatis repræsentatus,

In triduanis Exequijs

AVGVSTISSIMÆ ROMANORVM IMPERATRICIS

MARGARITÆ MARIAE,

Hungariæ, & Bohemiæ Reginæ, Archi-Ducis Austriæ, Infantis Hispaniarum, PHILIPPI IV. & MARIE ANNÆ

FILIÆ,

Invictissimi Imperatoris LEOPOLDI

CONIVGIS,

Ad magnificentissimum Cenotaphium in Templo
Aulico, funebri Panegyri laudatus,

à

R.P. CHRISTOPHORO TRAUT, Soc. JESU Sa-
cerdote, Sacré Cæsareæ, Regiæque Majestatis
ordinario Concionatore Aulico.

VIENNÆ AVSTRIÆ,

Typis Matthæi Cosmerovij, S. C. Majest. Aulæ Typographi, 1673.



Vox dicentis clama: quid clama-
bo? omnis caro fænum, & omnis glo-
ria ejus quasi flos agri; exsiccatum est
fænum, & cecidit flos. Isa. 40.



I propensissima cætero-
quin in Austriæ preces
Cælorū liberalitas, hanc
Austriacæ felicitati de-
votissimo Oratori facul-
tatem indulsisset, ut, quod mecum
unicè desiderabatis, *Auditores mœstis-*
simi, Augustissime Romanorum Imperatrici
MARGARITÆ MARIÆ Hunga-
rie, Bohemiæque Reginæ, Archiduci Au-
striæ, Infantii Hispaniarum, PHILIPPI IV.
& MARIÆ ANNÆ gloriissimæ Filie, vi-
venti potius ob felicem, & omnium
Serenissimæ Domûs incrementis
addictorum desideriis exoptatum
novi Principis partum (cujus spes

jucundissima, nobis amico sese radio
 propinans, auspicatissimum hæredi-
 tariis ditionibus diem promittere
 videbatur) festivam, & lætis plenam
 acclamationibus gratulationem ad-
 ornarem ; quām ut Eadem (proh
 dolor !) præmaturo nimis fune-
 re nobis ereptæ , in hac atrato-
 rum parietum nocte , & tristi qui-
 dem, augustâ tamen magnificentiâ,
 consurgente doloris theatro, fuñe-
 bri lamentatione parentarem : spe-
 râssem equidem non solùm attentos
 cum silentio , etiam in exundantia
 gaudiorum animos ; verùm, ubi per-
 orâssem, communem etiam applau-
 sum, lætasque gestientium Audito-
 rum admurmurations ; cùm in il-
 las magnæ Patriarcharum, ac gen-
 tis Israëliticæ matris Saræ voces &
 què gratus, ac lætus erupisset : *Ri-*
sum

*sum fecit mihi Deus; quicunque audierit, Gen. 21.
corridebit mihi.*

Sed ô inexpectatam, & omnium
votis adversam catastrophen! In
cujus acerbissima recordatione
temperare mihi non possum, quin
arcانum animi dolorem solemni fe-
licis, & infelicitis Jobi querimoniâ
publicè contestem, quâ repentinam
beatitatis suæ cladem ad orbis com-
miserationem deploravit: *Versa est in
luctum cythara mea, Organum meum in
lamentum.* Neque aliâ doloris signi- Job. 30.
ficatione tam luctuoso, & nimis
heu! festinato funeri gloriosissimæ
Imperatricis nos illachrymari par-
est: quâm quâ sanctissimus Medio-
lanensium Antistes Ambrosius, tan-
tò acerbiorem, quantò minus expe-
ctatam *Valentiniani junioris, Principis*

De obi-
tu Va-
lent.

pijssimi pariter, ac fortissimi mor-
tem est prosecutus: Conversi sunt no-
bis dies votorum nostrorum in lachrymas.
Quod dum facio, & justissimo dolo-
ri fræna liberiùs indulgeo, cœlitus
ad aures allabitur vox dicentis: clama,
quid clamabo? omnis caro fœnum, Com-
nis gloria ejus quasi flos agri; exsiccatum est
fœnum, & cecidit flos. Olamentabi-
lem Floris Austriaci casum! Omor-
tis implacabilem importunitatem,
quæ moris antiqui etiamnum tenax

Horat.

Æquo pulsat pede pauperum tabernas,
Regumq; turres, & sceptræ ligonibus
æquat!

Quæ cum semper cæca sit, persona-
rum nescit discrimina; cùm auribus
careat, preces, & lamenta non au-
dit: cùm ossea sit, nunquam molle-
scit in miserationem, sed præcipiti
furo-

furore animorum conceptiones
perturbat, spes incidit, vota mortali-
um, & desideria repente subvertit.
Quæ destinatâ luctui & *Pasioni Do-*
minicâ prævolavit *Dominicam Lætare*,
& Auroram serenissimæ diei baju-
lam in noctis tristissimæ tenebras
horizonti Austriaco commutavit.
O barbaram mortis crudelitatem!
Heu! quam atro, mœstoque colore
niveum lætiſſimumque pretiosissi-
mæ MARGARITÆ candorem fu-
nestasti. Agnosco genium tuum,
carnivore mortalium tyranne. Ni-
ger & candidus in deliciis est tibi
color: utroque gaudes cœu gentili-
tio, quia orbi luctuoso. Sed quam-
vis lætam tibi, Austriæ funestam in
tragoico tuo triumphoscenam gemi-
nis hisce coloribus instruas; est ta-
men

men, quo vel hinc nostri solemuracerbitatem doloris, quod, si niger mortalitatis, albus vero color immortalis laetitiae sit symbolum, sperare liceat mortem Augustissimae Principis, tametsi jacturam tam pretiosi thesauri mærore fideles subditorum animos afficiat, allaturam tamen gaudium, ob occupatam suffragio virtutum apud superos possessionem felicissimæ æternitatis.

Dubio vacat, quod veteri diverso vulgatum est: *Homo proponit, Deus disponit.* Id cum in omnibus, tum in ijs maximè rebus, quæ vitæ præsentis computum, rationesque concernunt, verissimum esse, quotidiani casus, & experientia testantur. Quantos saepe tractus annorum, quam laetos vitæ secundioris cursus

nobis disponimus? Nunquam libe-
raliore mensurâ utimur, quàm ubi
spem vitæ, fortisque lætioris arbi-
trio nostro metimur. At interve-
nit cogitationibus nostris, arbiter
annorum nostrorum Deus, & filium
vitæ, quod sperando in longum pro-
duximus, quandoque citra nostram
expectationem repente succidit. Id
quod Imperatori Severo contigisse
legimus, qui delusorio nocturæ quie-
tis ostento videbatur sibi quadriju-
gis Aquilis, triumphali curru in cæ-
lestè capitolium invehì, Jovisque fa-
vore reliquorum Divorum conci-
lio adnumerari. Quod illudentis
phantasi spectaculum in eam cogi-
tationum sublimitatem experrecti
Severi animum extulit, ut sibi per-
suaderet, se fastigio humanæ felici-

*Ælius
spart.*

tatis infistere, sibiique quamplurimos, Imperii, vitaeque jucundissimo fortunae cursu fluentis annos, ac postmodum positis mortalitatis exuviiis, gloriosum in cælis Apothosin, & immortalem à subiectis populis venerationem polliceretur. Sed brevi contrarium omen spes vanissimas elisit, dum obvius Severoni nihil fatale suspicanti, visu horridus Æthiops, textamque è cupresso corollam præferens infaustæ frondis portento symboloque mortis lætas Imperatoris cogitationes funestavit. Et quamvis ejusdem imperio fatalis spectri dicam, an hominis præsentia Cæsareis submoveretur oculis, paucos tamen intra dies coactus est severus viðrices lauros, & diademata fatali permutare cupres

fo, ac præcipiti ex folio in tumulum lapsu, submittere jugo mortis verticem coronatum. Ita nimirum audaces mortalium spes altior infringit Deus.

Fuit hæc omnium nostrum spes, fuit pœnè persuasio solicitarum de Austriaca posteritate mentiuntur: Augustissimæ memoriæ MARGARITAM MARIAM jam tertio mense prole serenissimâ gravidam, ad gaudium subiectarum provinciarum, ad orbis Christiani solatium, ad incrementum Augustissimæ domus, tot votis desideratum Unionem Austriacum mundo parituram, ut ipsa postmodum velut orbis universi pretiosissima MARGARITA tergeminis, Imperii, Hungariæ, Bohemiaque coronis inserta, ductu Romæ

manæ Aquilæ, triumphali in Essedo
in templum perennaturæ gloriae, &
augustæ felicitatis invehetur.

Sed ô fallaces spes nostras, qui-
bus adversata Divinitatis judicia in-
scrutabili Providentiæ decreto, spe-
ratos interverterunt plausus, & au-
gustæ dignitatis insignia in mortis
simulacra, lugubremque doloris ap-
paratum permutârunt.

Et quamvis Innocentiæ, nunc
vero sanctissimè defunctæ Impera-
trici nullus cupressinâ corolla for-
midabilis Æthiops, ut Severo, oc-
currerit; adfuit tamen ordinarius
Dei cursor, per quem probos, & que
ac reprobos ad forum suum Divina
citat Justitia; qui Principi semper
à nutu diviuo pendere solitæ cœle-
ste decretum his conscriptum ver-
bis

bis repræsentavit: *Omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus quasi flos agri, exsiccatum est fœnum, & cecidit flos.* Cujus lectione MARGARITA humanam conditionem in memoriam revocans, *Ego, inquietabat, flos campi, & Lilium convallium.* Scio equidem brevem esse florum ætatem, nec me communi necessitati exemptam cupio; scio, me mortis immitti falce quandoque demetendam. Non renuo, non obliutor: quandounque suprema Numinis amato voluntas sic tulerit, parebo jubenti. Cecidit ergo (ô vulnus Austriæ! ô luctum Augustissimi Conjugis!) cecidit Flos florum Princeps, terrarum decus, Austriæ delicum, cura cœlitum, amor subditorum. Cecidit, cecidit MARGARITA, &

barbari messoris inevitabili falce
demeissa augustum verticem mor-
tuali in pulvere reclinavit.

Quod dum mœstis revolvimus
animis, intelligamus de MARGA-
RITA dictum, quod olim de justo
sapientia divina pronuntiavit: *Quia*
sap. 4. placita erat Deo anima illius, propter hoc
properavit educere illum de medio iniquita-
tum. Neque tamen in placibili
mortis sævitiâ sic ademptum nobis,
& iniquissimâ rapinâ sublatum esse
putemus Florem pretiosissimum
(MARGARITAM) ut nesciamus
nobiliorem illius partem, augustas
nimirum virtutes, tanquam suavis-
simum, & nunquam intermoritu-
rum hujus Floris odorem nobis æ-
ternum esse relictum.

Adsit nunc imperiosior quis-
piam

piam cœli Genius, & nobis idem,
 quod olim Esdræ summo sacerdoti
 mandatum injungat: *Revirida mihi* Esdræ 4.
flores aridos; respondebimus ei: o-
 pus id esse supra vires naturæ posi-
 tum si florum nomine deliciosa ver-
 nantis terræ pignora, Lilia, & Rosas
 intelligat (quamvis etiam de his
 non nemo dixerit: & *avulsa flore-*
scunt, & decidentes redolent.) quia vero
 sub florum nomenclatura etiam im-
 mortalia virtutum veniunt decora,
 dicemus, neque totum morti cessis-
 se in spolium, neque penitus emar-
 cuisse pulcherrimum Anstræ Flo-
 rem MARGARITAM, sed suum
 illi etiamnum constare odorem, quo
 Domum Archiducalem suavissime
 perfundat ad illicium animorum,;
 qui que in gratis subditorum ani-
 mis

mis recenti semper memoâ perennet.

Et hoc est, quô meæ potissimum respicit orationis intentio, ut, dum geminos florum Principes, geminas nempe virtutes, ut dignitate præci-
puas, sic laudis maximè capaces Argenteum Angelicæ *Innocentie Liliū*, & purpuream Austriacæ *Pietatis Rosam* cum reliqua concatenatarum virtutum, tanquam adhærentium foliorum déliciosissimâ pompâ, obsequiosâ panegyri venerandas in MARGARITA propono, Eandem animis vestris, tanquam feracissima germinum nobiliorum telluri inse-
ram, victuras semper in grata me-
moria ad perennem vestri amantis-
simæ Principis venerationem:

Vivit enim post funera Virtus

Nun-

Nunquam insanus urbium, agro-
rumque vastator Aquilo tam procel-
loso turbine à quatuor lateribns in-
Jobi palatium insilijt, imaq; convul-
sum basi lamentabilem impulit in
ruinam: quanto furore per amoenis-
sissima Domūs Austriae Tempē,
in stragem Nobilissimarum stirpium
desævijt: dum non solum sublimes,
& ad ipsum usque fastigium Imperia-
lis Solij assurgentes Cedros, aut vi-
trices, dignasque immortali viro-
re Palmas indomitâ feritate radici-
tus evulsas terræ crudeliter affixit;
sed teneras etiam plantulas, & pu-
bescentium florum primam infantia-
m pari crudelitate, cladeq; impla-
cabilis hortorum tyrannus prostra-
vit. Ut non immerito paribus cum
cœlesti sponsa querimonijs: *Surge A-*

C

quilo,

quilo, *veni Auster,* suam Austria deplo-
 rare calamitatem, & immitem illum
 florescentis terræ prædonem face-
 sere ; hunc verò fœcunditatis auspi-
 cem ad vastati viridarij desideratis-
 simam reparationem evocare pos-
 sit. Sileant ergò inauspicati fremi-
 tus in excidium teneræ florum rei-
 publicæ crudeliter debacchantis
 Aquilonis. Subsident violenti turbati-
 nes, jam toties in luctum, & desola-
 tionem felicissimè quondam ver-
 nantis Austriæ, cum suprema perni-
 cie pulcherrimarum plantarum in-
 vedi. Quiescat insatiata nocendi
 rabies, totarborum altissimarnm la-
 mentabili casu saginata ; & veniat
 tandem (O veniat !) unica, suas inter-
 strages gementis, Floræ spes, plan-
 tarum vita, hortorum risus, florum

vigor, fœcunditatis bajulus Auster,
& Austriæ cognomini vitales afflan-
do auras, tot pignorum florentissi-
morum luctuosis funeribus exhau-
stam, misereque desolatam Augu-
stissimi Pæsti faciem, novis Serenif-
simarum stirpium incrementis ad
spem numerosæ posteritatis restau-
ret.

Sed non est mihi animus, acer-
biore calamitatum nostrarum com-
memoratione antiquum vulnus in-
novos dolores exulcerare : Satiùs e-
rit, fractas assiduo luctu, peneq; pro-
stratas animorum vires, suavissimâ
Floris nostri (MARGARITÆ) fra-
grantiâ, & efficacibus præstantissi-
marum virtutum illicijs, ad novum
vigorem, ad æmulandi studium ani-
mare.

Atque ut Floris laudatissimi commendationem aliquando aggrediar, libeat à Lilio florum Principe, hortorum Imperatore primordia meritissimæ laudis auspicari. *Lilium*, inquit Pierius, *flos est regius, à regia, quā pollet, celsitudine; quod celsitate super alios flores extollatur.* Quam Lilij supra cæteras Floræ triumphantis delicias eminentiam dum auditis, Auditores, nolim ea mentem subeat cogitatio, quasi tantâ Lilij sublimitate, supraquæ reliquum florum vulgus prærogativâ Majestatis, regiam, Cæsareamquæ MARGARI-TÆ dignitatem ceu Symbolo quodatu adumbratam velim. In hanc enim dum mœstos reflectimus oculos, exclamare cum gemitu cogimur: *Cecidit, heu! cecidit Flos, emar-*
cuit

Lib. 55.
de lil.
c. 10.

cuit vigor, interij venustas, succubuit Majestas, defluxit pompa, & cum capite Floris Augustissimi reliqua Imperialis dignitatis ornamen-ta fatalem resoluta in pulverem ex oculis evanuerunt. Alia est, quam in *Austriaco* hoc *Lilio* veneror, & admiror, celsitudo; cuius suffragio meritissimum inter Flores principatum obtinuit. Illam animis concipite, quam in Saule (qui, sicut inter flores *Lilium*, sic inter contribules suos celsiorem levabat verticem, & ab humero excedebat populum universum) tam exaggeratis laudibus di-vinarum litterarum authoritas commendat: *Filius unius anni erat, cum regnare cœpisset.* Sic enim (si Petri Da-miani facundæ interpretationi cre-dimus) erat innocens, tanquam puer unius

1. Reg. 9.

1. Reg.

13.

*anni, cùm regnare cœpit, & duobus annis
 in ejusdem Innocentie simplicitate perman-
 fit. Hinc est, quod ejusdem sacræ
 paginæ testimonio duobus tantum
 annis regnâsse dicatur, tametsi plu-
 ribus lustris & imperii gestârît insi-
 gnia, & jura, legesque subjectis di-
 ctauerit, & publicâ populi venera-
 tione ceu grandis Palæstinæ Mo-
 narcha sit adoratus.* Nimirum
quamdiu Innocens, tamdiu Rex.
*Innocentiam ubi perdidit, refracta-
 riæ mentis insaniâ, & divini præva-
 ricatione mandati; perdidit simul
 & eminentiæ prærogativam, & jus
 potestatemque regnandi. Huc
 tendebat indignantis Dei, & in ul-
 tione m projectæ Innocentiæ gravi-
 ter exardescens acerbissima per
 Prophetam objurgatio: *Stulte egisti*
nec*

*nec custodisti mandata Domini Deitui, quæ
præcepit tibi, quodsi non fecisses, jam nunc
præparasset Dominus regnum tuum super
Israël in sempiternum; sed nequaquam re-
gnum tuum ultra consurget.* Ut eadem,
quæ regnorum est firmamentum,
Imperantium supraemavideatur esse
dignitas, Innocentia.

Hæc est, quâ Principes cœliti-
bus magis, quam hominibus affines
ad confinia Divinitatis accedunt;
quâ *Lilium Regale*, & *Flos imperan-*
tium MARGARITA transcendit
Saulis eminentiam, dum non solùm
in primo augustæ dominationis adi-
tu, sed ad metam usque vitæ semper
filia unius anni perstítit, & mentis in-
nocentissimæ nives inviolatâ inte-
gritate conspicuas secum intulit se-
pulchro; ut nefas sit dubitare, il-
lam

lam ex imperij caduci sublimitate ad regnum felicius, & nullo terminandum fine fuisse translatam.

Hic ego ad publicam orbis famam, ad eorum, quicunque MARGARITÆ integerrimum vitæ tenorem vel præsentes notârunt oculis, vel absentes exceperunt aribus, attestationem; ad vestram deinde, qui Principi pijssimæ vel à servitijs, vel quotidianâ consuetudine propè domestici innocentissimos mores accuratiùs observâstis, unanimem acclamationem provoco. Fuit, fuit hæc una omnium vox, cum de Selectissimis MARGARITÆ dotibus incideret quæstio: *Principem integerrimam! ò rarum Innocentie Specimen!* In MARGARITA frustrâ querebat censorius oculus, quod re-

prehenderet, non labes luculentior, cui li-
ver dentem infigeret; non error notabilior, in-
quo tenerior etiam conscientia offendiculum
pateretur, apparebat. Sæpè maculam in
Lilio citius deprehenderis, quam iij, qui con-
scientiam mentis innoxiae moderabantur, et
iam sufficientem sacro tribunalis materiam in
animo MARGARITÆ reperirent. In-
nocentiam, quam cum candida salutiferi la-
vacri stola primum induit, nunquam gra-
viore Numinis offendit commaculatam
exuit. Altè nimirum in animum
demiserat, quod solenni Ecclesiæ ni-
tu renatis fonte baptismatis, dum
candidâ veste, ceu novi cœlorum
candidati induuntur, acclamari so-
let: *Accipe vestem candidam, quam per-
feras sine macula ante tribunal Christi, ut ha-
beas vitam æternam.* Hâc Innocen-
tiæ purissimâ byssodum MARGA-

RITAM, tanquam ornatu triumphali magnificenterissimè refulgentem contemplamini, Auditores, Liliū cogitate, suo paludatum candore, & simul in memoriam revocate facundissimum in Lilij commendationem primæ Veritatis oraculum : *Nec Salomon in omni gloria suā sic cooperitus est, sicut unum existis, ut intellegatis,* MARGARITAM Innocentiæ præsidio non Saulis modo sed & Salomonis Regum Palæstinarum magnificenterissimi gloriam, fastigiumque dignitatis supergressam

Hanc cœlo tam pretiosam, hominibus tam venerabilem Innocentiam intaminatus Lilij candor designat, quam ut digno commendaret elogio festivius ingenium, hoc lemmate honoravit : *Nihil candidius.*

Quan-

Quantâ verò curâ illæsam candoris
sui puritatem conservare studuerit,
quantum hoc Regiarum mentium
ornamento cæteris in regali fasti-
gio constitutis eminuerit, vel ipso
docet nomine **MARGARITA**;
Prima enim dos MARGARITÆ in
candore. Sed quoniam suus tam ani-
mis, quam coloribus candor est, &
eodem vocabulo fraudis nesciam.
ingenuæ mentis sinceritatē notare
solemus; dicamus vel hoc ipso titu-
lo primam **MARGARITÆ** nostræ
dotem fuisse in candore; quæ quan-
tò sincerior, tantò candidior, men-
suram augustissimi nominis exæqua-
bat sanctissimâ simplicitate mentis.

Hâc moderatrice in castigatissi-
ma vultu compositione perpetuam
exhibebat malaciam, per quam fa-

D 2 cili

Plinius.

cili conjecturâ in arcanam, & expertem tumultum Serenissimæ mentis tranquillitatem devenires.

Hâc tanquam magneticâ virtute sic omnium trahebat affectus, ut quisquis MARGARITAM aspiceret, animum benevolentiam plenissimum in deliciosa vultûs amabilissimi scena genuinis expressum lineamentis se crederet intueri.

Hâc præside tam severâ lingua libertatem dictaturâ coërcuit, ut nihil in verbis subdolum, nihil in responsis æquivocum, nihil in promissis ambiguum appareret; quin, si quando vel per ignorantiam, vel per oblivionem pro humanæ conditionis imbecillitate in aliquem labetur errorem, adeò nullis excusationum pigmentis factum, dictumvē

coloraret, ut potius ingenuâ confessione culpam ipsa panderet, atque adeò vel in hoc repandi semper Lilij sinceritatem æmularetur.

Hujus institutione odiosum illi fuerat id hominum genus, quod in mores alienos sine autoritate censorium munus usurparet; neque erat, quo frontis, animique tranquillitas facilius læderetur, quam temere narrata, & linguæ liberioris aculeo confixa aliorum delicta. Ipsa verò fui Judex acerrima, factis aliorum severius examinandis abstinere, sed potius amabili quâdam dexteritate illa censuræ subducere, eosque, qui contrarium sentirent, seriâ, dulci tamen mansuetudine confutare satagebat.

Hujus instinctu linguam, ani-

mumq; ad eum inviolabilis patien-
tiæ, & suavitatis tenorem confor-
mavit, ut nunquam asperius ali-
quod, aut inhumanus verbum ela-
beretur ex ore, quod famulantium
cuiquam ullum vel tristitiae, vel pa-
tientiæ præberet argumentum.

Hæc benignissimæ Principis vi-
scera tanto miserationis imbuit af-
fectu, ut neminem vel egestate, vel
ærumnis pressum aspiceret, quin
promptissimo benefaciendi studio
intra sinum reciperet pietatis, sæ-
piusque in has liberalissimæ volun-
tatis indices voces erumperet: *Fa-*
xit Deus, ut mihi cunctos inopiâ laborantes
juvandi facultas suppetat! quam lata id fa-
cerem?

Hæc denique est, quæ intimis
recepta medullis admirabilem ori-

Au-

Augustissimo affabilitatem indidit,
 quam cùm per omnem vitæ cur-
 sum, tum in eo, quo supremùm de-
 cubuit, morbo, jamjam sub inde-
 clinabile mortis jugum concessura,
 non sine maximo totius aulæ dolo-
 re, dicam, an solatio manifestâvit;
 quando non solum Augustissimo,
 dilectissimoque Conjugicū demis-
 sissima offendarum deprecatione su-
 premium, & amantissimum vale di-
 xit: sed etiam advocatis, quotquot
 numerabat à servitijs, ultimum Cæ-
 farex manûs osculum placidissimè
 indulgens, beneque precata, inde-
 lebilem humanissimæ sinceritatis,
 & affectûs sui memoriam in animis
 suorum clientum reliquit.

Celebret nunc Arragonia suum,
 ab innocentia, & recte agendi studio

Panor-
 mitanus
 de gestis
 Alphon-
 si.
 no-

notum orbi Regem Alphonsum, qui
 cùm sæpiùs sine consueto palatini
 satellitij comitatu peregrè profici-
 siceretur, mirantibus, & periculum
 regij capitis sine corporis custodia
 exaggerantibus amicè respondit:
non indigere se armato stipatorum præsidio,
quem integras vitæ, recteque factorum con-
scientia, quævis militari cohorte securior,
fortiorq; custodia comitaretur: solam esse
innocentiam, quæ tutum ab insidijs, hostilibus-
que periculis iter præstaret. Veritatem
 sapientissimi responsi certius asser-
 tam in MARGARITA vidimus;
 quam comes ab incunabulis *Inno-*
centia per vitæ totius curriculum
 reliquo natalis Hispaniæ solo in
 Germaniam fidissimo comitatu de-
 duxit.

Sed dum Innocentia dudu m-

nitam intelligitis M A R G A R I-
T A M , nolim existimetis , hanc e-
jusdem Comitem sic ab armorum
subsidijs fuisse destitutam , ut non
fuerit , qui tuendæ MAGARITÆ
socias Innocentiæ manus jungeret ,
Miles armatus. Is erat asserto Chryso-
stomi *Timor Domini* , cujus in lacer-
tis inexpugnabile robur , & *omnis*
armatura fortium. MARGARITAM
quidni fideli , perpetuoq[ue] stipâasset
obsequio , qui effato divini Spiritûs
cum Electis fœminis graditur?

Chryso-
stomus.

Eccl.c.1.

Et tametsi eodem Divinitatis
testimonio *cum fidelibus de vulva con-* Ibid.
creatus sit; non actu (ut eruditus docet
Interpres) *Greipsā* , sed per Dei præpa-
rationem , *& predestinationem* , quā ab ini-
tio in eorum creatione , puta in utero ma-
terno , Deus illis destinat suo tempore dare

Corneli-
us à La-
pide.

E timo-

*timorem sui: atque inde viris æquè ac
fœminis ad immortalem in cœlis
beatitatem Numinis providentiâ
destinatis individuum præstare con-
fortium videatur: singulari tamen
ratione graditur cum fœminis Elellis,
quas per anfractuosas hujus vitæ se-
mitas sine errore, per varias fortis
alternantis vicissitudines sine jactu-
ra, per excubantium in excidium
integritatis Avernalium prædo-
num insidias sine clade ad termi-
num æternaturæ felicitatis perdu-
cit. Illas tuetur ut custos, & solus
par exercitui adversas profligat a-
cies, assumptâque in societatem cu-
stodiæ sorore *Verecundiâ*, tanquam
cœlesti Bellonâ, quidquid hostilita-
tis imminet, non minùs providè,
quàm fortiter avertit, elidit. Et ve-*

rò par est , ut cum fœminis magis , quām cum viris gradiatur Miles armatus , & protector Timor Domini , ut potest quas naturæ major imbecillitas , & flexilior in vitium indoles majoribus periculis , hostiumque tentamentis exponit.

Hic ergò MARGARITÆ concreatus in utero , adolescens cum adolescente Timor Domini prætorianæ cohortis vicem subiit : hic excubabat pervigil ad ostium Regalis animi : hic , quo cunque gressum moveret , aderat individuus comes , & creditam suæ custodiæ , candidissimæ mentis Innocentiam contra omnes vel insidias , vel insultus inimorum fidelissimè tuebatur . Vt proinde MARGARITAM merito Liliam inter spinas dixerim , cui spina-

narum horrentes aculei insepi-
mentum, & obsequiosum *Innocentie* tutan-
dæ satellitium deservirent.

Serm. 22
in Psal.

Ambrosio salutaria paternæ di-
sciplinæ præcepta spinæ sunt, non
ut fauient, sed ut servent, tenerio-
ribus animis admovendæ: *salubriter*
ista compungunt, stimulant ista, non vulnerant. Cujus mentem ampliore ver-
borum circuitu declarans Franci-
scus Mendoza, *Parentes, inquit, acu-*
leatis præceptionibus debent filios erudire,
ne à vitijs obruantur. *Hæc enim præcepta*
spineta quædam sunt, quibus inclusi flores non
lacerantur, sed muniuntur.

Quod si ergò rerum author &
parens Deus, oraculi Tharsensis au-
thoritate is esse pronuntiatur, *ex quo*
omnis paternitas in cœlis & in terra nomina-
tur; merito MARGARITAM,
cha-

Ephes. 3.

charissimam sibi Filiam , quam non uno paterni favoris argumento ad immortalis regni coronam , & triumphos *electam* præsignaverat, in amoenissimo Austriacæ Familiæ lilio-
to, tanquam niveum Innocentiaæ *Lilium*, plantatam ; aculeato spina-
rum septo circumdedit, dum salu-
berrimis de *Timore Domini* sacrarum
literarum documentis instituit ; qui-
bus tanquam spinarum aculeis pun-
geretur quidem, sed citra vulnus, &
nativus innocentissimi Liliæ can-
dor ab attacku contagij conservare-
tur illæsus.

Audierat nimirum, *Timorem Do-*
Ecc. c. I.
mini expellere peccatum. Didicerat,
eum, qui sine timore est, non posse justificari.
Noverat, timenti Dominum benè futurum,
in extremis. Imbiberat altius com-

minatoria m Veritatis increatae sententiam : *si non in timore Domini tenueris te instanter , cito subvertetur Dominus tua.*

His instructa præceptionibus vigilam mentis aciem in omnes corporis , animique potentias , in cogitationes & desideria , in operaciones & verba , in omnem vivendi rationem accuratissima sui custos immobili constantiam intendebat . Hinc illa conscientię ad internum , idemq̄ severissimum animi tribunal quotidiana provocatio : hinc in tenuissimas , & mentibus etiam oculatissimis vix aspergibles labeculas acer- rima inquisitio ; hinc ea vel ad minimam levioris , ne dicam gravioris peccati umbram formidantis conscientiae teneritudo profluxit .

Glorietur ergo (ut verè gloriari potest) Liliati candoris Princeps MARGARITA, & dicat cum coronato yate: *perambulabam in innocentia cordis mei in medio Domus meæ: aplaudet Ecclesiæ Lumen, Augustinus in Regij Prophetæ sententiam* Psal. 100.
hâc interpretatione facundus: Domus nostra interior cor nostrum est. Hanc dominum quisquis habet malam, pellitur ab illa foras. Quisquis enim in corde premitur mala conscientia, quomodo quisquis à stillicidio exit è domo sua, aut à fumo, non ibi se patitur habitare.

Poterat proinde secura sine metu, læta sine sollicitudine, quieta sine tumultu *perambulare in medio Domus sue, in cordis augusti amplissimis penetralibus, in quibus nec fumum, nec stillicidium gravioris noxæ patie-*

tiebatur vigilantissima custos *Innocentia*. Poterat, inquam, in sua non
 cordis solum, sed etiam Serenissi-
 mæ Familiæ Archiducali *Domo per-*
ambulare cum gaudio, integritatis
 candore spectabilis Princeps, ad o-
 mnium Augustissimæ Domui agna-
 torum jucundissimum exemplum.
 Poterat *perambulare* cum triumpho
in medio Domis sux, cuius purpure-
 um gentilitiæ parvæ campum can-
 dido ab *Innocentia Liliata* tractu ad im-
 mortalem Serenissimi Stemmatis
 gloriæ insignivit. Hoc illæsi
 candoris ornatu conspicua, si mor-
 talium rapuit affectus MARGA-
 RITA, quidni traheret etiam in
 sui amorem innocentium animo-
 rum amatorem Deum? *Nihil enim*
 (teste Lactantio Firmiano) *sancita*
fin.

Singularis illa Majestas aliud ab homine desiderat, quam solam Innocentiam, quam si quis obtulerit Deo, satis piè religiosèque litavit.

Quodsi ita est, meæ in prædicandis Augustissimæ Principis encomijs obligationi à me satisfactum arbitrarer, nisi me præter candidum *Innocentiae Lilium*, purpurea quoque *Pietatis Austriacæ Rosa* ad sui commendationem provocaret. Ad quam pietatem citatus Lactantius me quasi manuducit, dum inter laudes *Innocentiae* primum, præfiantissimumque *Pietatis actum*, *Sacrificium* recenset. *Inter ea enim, quæ ad Numinis cultum, & Religionem pertinent, excellentissimum quiddam est sacrificium.*

Liceat ergò cum Innocentio I. supremo Antistite, eodem, quo

F

ipse

Ludov.
Cresali-
us Anti-
lo: p. I.
c.4. Sect.

pse Floræ delicium, hortorum Decus, Rosam celebravit elogio, mihi Pietatem Austriae salutare: *O Rosa, Regina Florum, colore delectans, odore recreans, sapore confortans, Pietas Austriae!*

Quam ego Pietatem propterea Rosæ comparandam suscepi, quia, quod sol in cœlo, quod cor in animantibus, quod Princeps in sua ditione, quod dux in exercitu, quod oculus in capite, quod adamas in annulo, quod demum est Rosa in horto: hoc est in Augustissima Domina Austriae hereditaria, & à primordijs Serenissimæ Familiæ congenita Pietas.

Pietate nata, Pietate adolevit, Pietate ad summum Imperij fastigium assurrexit, pietate contra hostes

ites pugnavit, Pietate vicit, & triumphavit: & quia Pietate fundata, & costructa est, non nisi suffosso Pietatis fundamento poterit in ruinam dissolvi.

Quod de Artemisia, alijsque Regiae dignitatis Heroinis antiquorum Historicorum, monumenta perhibent: illas nimirum Reginas Martialibus assuetas studijs, quinimo bellicosissimas militum Duces, & quasi matres exercituum extitisse: id non incongrue de Pietate potest enunciari; cuius viðricibus Labaris non solùm coronatæ, Regiaeque succenturiantur Virtutes, quæ Principem, magnamque suam Matrem debito venerantur obsequio; sed etiam Serenissimi, augustissimique vertices ad excipienda mandata se

reverenter inclinant, seque tam au-
gustæ , Divinæque virtutis guber-
nationi demissè, penitusque submit-
tunt. Quas inter nec ultimam, nec
minimam recensere fas est pientif-
simam glorijsæ memorijæ M A R-
G A R I T A M nostram & Angel-
câ *Innocentia*, & avitæ Pietatis hæ-
reditate verè Austriacam Impera-
tricem..

Etenim si perfecta *Pietas* ex men-
te Theologorum moralis est virtus,
quæ in Numinis cultu, obsequio-
que ritè præstando consistit, dum
nos immensæ illius Majestatis con-
sideratione permoti, in eandem te-
nero mentis sensu, studioque devo-
tæ voluntatis ferimus, inque laudes,
& debitam illius, cum maxima cor-

poris, animique submissione, adorationem excitamur.

Vel si perfecta Principum personarum Pietas in tres præcipue partes, tanquam flumen in suos alveos dividitur, nimirum in eximiam Dei, rerumque divinarum æstimationem, quam Arnobius rectam de divinis mentem appellat; tum in assidue variarum, nobiliumque Virtutum exercitationem, tum demum in ardens Religionis, & fidei tuendæ, propagandæque studium: sic omnia Pietatis elogia, vel officia pulcherrimo nexu copulavit, inse MARGARITA, ut videretur maternis ab uberibus traxisse scientiam illius documenti, quod olim Agapetus Diaconus Imperatori Justiniiano litteris propositum, suis post-

modum in monumentis commen-
datum posteritati reliquit: inter au-
gusta, Regiae, Magnificentiae ornamenti
ceteris eminere Coronam Pietatis; vel
quod Cyrillus ex Græcia ad Theo-
dosium scripto transmisit: *Indice*
De recta
Fide. *gemmæ reverenda vestra adornant capita;*
Animæ verò, & mentis spiritualis ornatus
sit Fides recta, & non adultera.

Hæc dum profero, incurrit in
memoriam exceptum elapsis die-
bus calami veracis de MARGA-
RITÆ vitâ testimonium: *MAR-*
GARIT A ornatum, & ea, quæ ad often-
tationem faciebant, adeò cum Esthere facie-
bat nihil, ut nisi personæ, quam gerebat, ra-
tio aliud suaderet, planè neglectura videre-
tur. Patiebatur itaque Cyrilli con-
filio Indicis adornari gemmis reve-
rendum caput, sed major illi cura,
ut

ut animæ nobiliorem ab ornatu Virtutum decorem conciliaret, & immaculatum illum *Innocentiae* candorem Roseo rectæ Fidei, *Austriacæg*, *Pietatis* purpurisso miniaret.

Verendem equidem mihi non immerito censerem, ne multùm infra debitas Pijssimæ Principi laudes uea serperet oratio, si commendationem Cæsareæ Pietatis eo solùm titulo circumscriberem, quod Regis Catholici *Catholica Filia* fuerit; quodque in augustalis Symboli Lemma, illa Syracidæ, de magno gentis Israëliticæ Ductore Moysè pronuntiata, verba delegerit: *In fide Glenitate.* Nisi simul adjicerem MAR-
GARITAM huic solidissimæ Fidei, tanquam unico Christianarum Virtutum, actionumque fundamento
Eccl. 45.
to-

totam laudatissimæ vitæ structuram
imposuisse.

Hanc itaque Fidem, ut Virtutum Theologicarum ordine primam, sic MARGARITA præ reliquis eligendam censuit, quam in vitæ totius regulam & Ducem cæterarum Virtutum, illustriumque Pietatis exercitationum adhiberet,

Hâc juxta, phrasim Apostoli Gentium *ambulabat in conspectu Dei, non sine pulcherima corporis amiqne ad omnes modestiæ leges conformatio*nē. Quare suorum conscientiâ morum cum Regio Psalte profiteri poterat: *Servavi mandata tua & testimonia tua, quia omnes vias meæ in conspectu tuo.* Nec alia causa si Paulo credimus, Moysem impulit, ut mallet cum eleæto Dei populo

lo mancipium agere , quām cœ
Princeps Filiæ Regalis Infans , af-
fluere rerum copiâ , & voluptatibus
Ægypti potiri , *Iuxvisibilem enim tan-*
quam videns sustinuit.

Hac Fide tanquam speculo sub-
candido specierum Eucharistica-
rum velo , suum *Candidum & Rubicun-*
dum , hoc est , Austriacum Sponsum
præsentem intuebatur ; cum quo
dulcissima miscere colloquia , cui
mentis arcana pandere , & tenero
Pietatis sensus deliciosos interamo-
ris æstus diutiùs inhærere confue-
verat .

Testis est Aula , quām sæpe , quan-
taque cum reverentia , animique
demissione , quantâ piissimæ volup-
tatis exuberantiâ sacratissimum ac-

G cœ

cedens epulum, assuetam divinorum gustui mentem refecerit.

Testis est aula, quam accurate ijs in precibus, quas privatos inter aulici facelli parietes frequenter indixerat Eucharistica Pietas, statas quotidie horas expleverit, humique de genibus nixa Austriacum illud divinarum benedictionum pignus, collectis intra se sensibus piffissime devenerata, instar Rosæ ad amicos promicantis è nube sacratissimarum specierum Solis radios cornuum inter ardores affectuosæ contemplationis explicârit.

Hâc fide, sanctissimoque Zelo permota ultimum hæresibus excidium, & extirpatis ubiq; pravorum dogmatum erroribus, omnes à se mita veritatis avios ad agnitionem viam-

viam quærebatæ Fidei reduci desiderabat.

Is certè famæ communis sensus est, ad MAGARITÆ præsentiam, si non interpellationem, id, quod à multis retrò annis ardentiùs piorum efflagitabant vota, quod sapientium suadebant consilia, quod excelsior denique potestas decreverat, felici tandem exitu terminatum: ut nimirūm Hebræorum natio, tam politicæ, œconomicæ-que rei, quām Christianæ pietati non modicūm noxia, ex Vrbis, Austriaeque finibus eliminaretur.

Aspasiam Hermothimei Atheniensis filiam refert Ælianus, periculo affecdam ulcere decubuisse; consultumque oraculum, quā medicæ actis industriâ curari posset, re-

Lib. 12.
Hist. Nat.

spondisse: sanitati restituendam, si
rosea capiti corolla imponeretur,

Laborabat equidem, & ulcere
venenoso, purisque maligni facun-
dissimo se pressam ingemiscebatur
Austria. Vbi verò Flos Hispaniz,
Rosa Austriaca, MARGARITA
apparuit in terra nostra, apparuit simul
inveterato malo remedium, & ulcus
illud fensim detumescere cœpit,
tandemque penitus ad Floris fra-
grantissimi præsentiam, ad Austriae
salutem, & omnium proborum læti-
tiam evanuit. O Rosa Regina Florum,
colore delectans, odore recreans, sapore con-
fortans! Pietas Austriaca!

Cùm verò perfecta Pietas etiam
in Regni cœlestis incolas & amici-
tiâ Divinitatis potentissimos cala-
mitosæ mortalitatis Patronos; tum
in

in eas fidelium animas, quæ piacularibus flammis, tanquam adornandæ nuptialem ad thalamum Christi Sponsæ à nævis mortali in vita contractis repurgantur, obsequiosæ voluntatis studio feratur: cumque illis, ut amicis Dei, quos ipse *honorat*, *glorificat*; debitam venerationem; his verò ad maturorem earum liberationem, promptum, liberaleque subsidium exhibere par fit: MARGARITÆ quoque *Pietas* in id præcipuâ curâ semper incubuit, ut & illos singulari cultu sibi devinciret; & hos liberalissimis precum, elemosynarum, Missarumque suo jussu, & impensis lectorum suffragijs quamplurimum adjuvaret.

Inter eos autem, quibus tenebris affiebatur, Cœlites primum,

G 3 ut

ut decebat, locum obtinebat Augu-
stissima Cœlitum Imperatrix, cuius
honori dicatas quotannis festivita-
tes obsequiosissimâ pietate, pluri-
maque demississimæ venerationis
significatione celebrare consueve-
rat.

Secundas Pietatis curas occu-
pabant (ut de reliquis sileam) San-
ctissimus Christi Nutricius Jose-
phus, inclytus à miraculis Antonius
Patavinus; sæculi nostri Thauma-
turgus, idemque Indiarum Aposto-
lus Franciscus Xaverius; S. deni-
que Petrus de Alcantara, cuius ho-
nori dives auro, & augustâ magnifi-
centiâ spectabile facellum in Āde
D. Hieronymi erexit: ut tanquam
Rosa Austriaca suavissimum Pietatis
odorem in Ecclesiam exstructione
tem-

templorum effunderet, seque genuinam probaret sobolem suorum majorum, imò totius Austriacæ, Hispаниcæque Domûs, quæ simul ultra septuaginta templorum millia cælitum cultui erexerunt; cùm solus Rex Jacobus Arragonius, eo nomine Primus, intra limites Hispaniæ ter mille Jmmaculato Virginis conceptui consecrata fundârit. Nimirum altè defixum in animo ferebat, quod maximus Orientis Princeps, ac Romanorum Imperator Theodosius ante fatalem ex hoc mundo discessum suo Filio, tanquam ultimum amoris paterni documentum supremâ voluntate commendatum reliquerat: *Vna est Christiani Principis felix hereditas, si Pietatem impensè exerceat.*

Mariana
Hist.
Hisp.
lib. 14.
c. 2.

Nicepho
rus.

De-

Denique cùm genus Pietatis sit,
 Agnatos, & nexu familiæ conjun-
 ctos amore, reverentiâque comple-
 lib. 38. eti, de quo Augustinus: *Pietas est, per*
 qq. q. 3. *quam sanguine junctis, Patriæq; benevolis*
officium, & diligens tribuitur cultus: vo-
luit & in hoc omnem Pietatis mensu-
ram adimplere MARGARITA:
in cuius argumentum iterum inte-
gerrimæ fidei testem appello:
MARGARITA, inquit ille, Augu-
stissimum suum Conjugem dilexit extreme
(cui proinde nunquam importuna,
vel molesta esse, sed ab omni Ejus-
dem nutu obsequiosissimè depende-
re studuit) summèque doluit, eum hærede
masculo destitui; quem si dare potuisset, vel
vitam impendisset libenter. Overè piam,
& Augustissimæ Domûs studiosissi-
mam Austriaci sanguinis indolem!

Scio

Scio equidem & Agrippinam
 impij Neronis infelicem matrem,
 cùm intellexisset Filium, quem ef-
 set paritura, elevandum quidem ad
 fasces Imperij, sed matri simul vi-
 tam adempturum, audacter asserui-
 se: *occidat, dum imperet.* Laudabilis
 tamen, multoqué pietati conformi-
 us MARGARITÆ votum erat,
 vel cum propriæ vitæ dispendio,
 prole masculâ Serenissimam auge-
 re Familiam; utpote cuius animo
 non tam insidebat imperialis coro-
 næ Majestas, quam tot augustæ
 Domus studiosissimarum mentium
 sincerissima vota, regnorum, pro-
 vinciarumque hæreditariarum su-
 spiria, Archiducalis Familiæ supre-
 ma necessitas, & maximè tot rē-

H dun-

dundatura in Ecclesiam, Fidei
Catholicam emolumenta. Hinc
est, quod novum suæ Domui colum-
nam, novum Ecclesiæ clypeum, no-
vum amicis, & studiofis Austriae
potentiaæ folatum, etiam impendio
vitæ procurare desiderârit.

Sed eheu! dum ista memoro, ite-
rum auribus infonat vox dicentis:
clama. Quid clamabo? omnis caro fœnum,
Et omnis gloria ejus quasi flos agri. Excis-
catum est fœnum, Et cecidit flos, quia Spi-
ritus Domini sufflavit in eo.

Erat nimirum hæc nobis inex-
pectata quidem, sed tamen justissi-
ma Dei voluntas: ut Flos Austria-
cus (MARGARITA) *candidus in*
Lilio, rubicundus in Rosa in ipso floren-
tioris ætatis vere falce mortis de-
met

messus, in Austriæ cœlestis viridarium transplantaretur.

Hanc Numinis voluntatem cum liquidò cognovisset MARGARITA, utpote cujus arcana in animo voces: *Dispone domui tue, quia morieris tu, Non vives: exceperat; adeò non exhorruit, ut lætâ potius, & arbitrio divino subiectissimâ mente mortis appropinquantis nuncium exceperit, instarque solisequæ Rosæ solem suum, etiam in occasu amabili conversione respiciens, illud in rosæ laudes eximum Lemma: etiamsi occiderit: sibi proprium comprobârit. Fiat (ita secum illa) Fiat, quod providentissimi Patris sacrosancta voluntas imperat; à qua nec latum unguem recedere, cui nec minimâ dissentientis*

tis animi tergi versatione reluctari statutum est. Malo Deo meo præmaturā licet morte placitum exhibere obsequium, quam citra illius voluntatem desiderio vitæ longioris eidem displicere.

Valeat ergo, mihi post Deum. Divosque dilectissimus Conjux, cuius jucundissimum consortium cum mihi moriendi necessitas intercidat, ad alia nuptiarum fœdera cum Christo animarum Sponso, æternum duratura tranfeo, Eudem, ut spero, è Liliis, Rosisq; Innocentiae, & Pietatis, illius præsidio conservatae, nobile coronamenti genus impositura!

Valeat charissima mihi Patria, prima Innocentiae, & Pietatis meæ testis, Hispania! Valeat cum adne-

xis Provincijs, & Regnis Austria,
meæ stadium peregrinationis ! Va-
leat fida famulantum turba, nullo
non tempore ad obsequium suæ
Principis expedita ! Valeat denique
& ipsa, quam semper à Clementissi-
mi Numinis nutu submississimè de-
pendere volui, mea vita, supremo
nunc actu terminanda !

At tu , O Mors ! quam ut Dei
Legatum reverenter excipio, bre-
ves inducias , dum ad iter æterni-
tatis debito comeatu me compa-
rem, liberè, alacriterque paritura
concede.

His rite confectis , & sanctissi-
mis Ecclesiæ mysterijs ad supre-
mam luctam piissime communita,
venerandum caput falci mortis pla-

cidissimè supposuit : ad cujus fatalis
ictum cecidit *Flos*, Austriae glo-
ria, Aularum decus, orbis ornamen-
tum M A R G A R I T A. Et nunc
quidem Augustissimæ Principis
exuviae mortuali jacent in pulvere;
animus vero, nobilior ejusdem pars,
citra dubium Angelorum ductu-
tanquam *Angelice Innocentiae Lilium*,
& Rosa Pietatis, translatus è terris,
cœlestibus areolis insertus est. Id
quod cum magno Præmonstraten-
sis Ordinis Fundatore Norberto fa-
ctum, cœlesti viso didicit sanctimo-
niâ clarus Asceta ; cui viri sanctissimi
post mortem in Lilium candi-
dissimum mirabili metamorphosi
conversi, & Angelorum obsequio
ad Dei conspectum delati, jucun-
dis-

dissimam speciem cœlum indulxit.

Liceat & nobis sperare , illam
Oseæ de populo Israëlis miserè pro-
trito sententiam , in MARGARI-
TA , suffragantibus ejusdem *Innocen-*
tia & Pietate veritati afferendam : ero Cap. 14.
quasi Ros , Israël germinabit sicut Lilium.

Illud denique præmatura Floris
nostræ succisio , cùm nobis omnibus ,
tum ijs præsertim , qui temerariâ
calculatione vitæ longævos dies si-
bi computant , documentum , Am-
broſij calamo mortalitati consigna-
tum , imprimat : *Hominis gloria præ-*
matura , ut Flos , caduca quasi fœnum , dum
germinat vite viriditatem in specie ,
sed nullam in fructu solidi-
tatem.

F I N I S.